C dissolutiones cohibet siue in cibo sumptum, siue in succo potum. Non edendū gra uidis nisi mortuo conceptu. Quippe etiam impositum eijcit. Mouet urinam cum uino potum. Syluestre & calculos. Quos uigilare opus sit excitat infusum capiti cum aceto.

DE SIO▸ CAP▸ CCLXXVI▸

NOMINA.

Sion unde dictū.

SION, ἣ καὶ γαλλὶς ἕνυδρος Græcis: Sion, Lauer & Anagallis aquatica Latinis dicitur. Officinis ignota herba. Germanis Wasserpungen/ Bachpungen/ oder Pungen appellatur. Sion autē nomen sibi adsciuit à concussu, quod Græci σείειν dicunt: nam excutiendi uim nactum est, utpote quod à renibus calculos pellat, urinā & menses ducat. Anagallis aquatica, quod flores eius Anagallidis fœminæ floribus per omnia respondeant. Lauer nomen hauddubiè à lauando cōtraxit, quod sonantibus aquis enatū semper elui gaudeat.

Anagallis aquatica.

Lauer.

FORMA.

Pusillus est frutex, rectus, pinguis, foliis latis, Olusatro similibus, minora tamen, & odorata. Quæ deliniatio prorsus astipulatur huic herbæ quam Germani Wasserpungen nominant. Hæc enim riuulis gaudet, frutex pusillus pinguisq; est, latis foliis, Hipposelino similibus, & digitis leniter friata iucundū expirantibus odorē. Floribus cœruleis, Anagallida fœminam referentibus.

LOCVS.

Inuenitur in aquis citato lapsu repentibus, aut etiam resedibus. Sæpe uerò intumescentibus demersum uidetur.

D

TEMPVS.

Iunio mense floribus prægnans est.

TEMPERAMENTVM.

Quum amara admodū sit hæc herba, ut calefaciat & exiccet necesse est. Atq; hinc iterum colligere licebit, ut patebit ex uerbis Aëtij, eam esse Sium.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Sij folia cocta crudaq; comesta calculos cōminuunt & excernūt. Vrinas mouent. Fœtus & menses educunt. Dysentericis utiliter comeduntur.

EX GALENO.

Sium quantum gustu odoratū est, tantum etiam calefacientis facultatis est particeps. Digerit autem & urinā mouet, & calculos renum frangit, & menses euocat.

EX AETIO.

Sium quatenus gustu odoratū est, eatenus calefacit, & exiccat. Discutiendi etiā uires habet, urinā mouendi, calculos in renibus dissoluendi, ac menses ciendi.

EX PLINIO.

Prodest urinis, renibus, lienibus, mulierumq; mensibus, siue ipsum in cibo sumptum, siue ius decocti, siue semē è uino drachmis duabus. Calculos rumpit, aquisq; quæ gignunt eos, resistit. Dysentericis prodest infusum. Item lentigini illitum, & mulierum uitijs in facie, noctu illitū momento cutem emendat, & ramices lenit, & scabiem equorum.

APPENDIX.

Veterinarij in hodiernū usq; diem hac herba in tumoribus discutiendis, & scabie equorum sananda utuntur, ut hinc manifestū fiat illam esse Sium.

DE STRATIO-